



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.  
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana  
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1673**

§. Si autem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

ropolitanum vocatis ad ipsum partibus opponatur, vel omnino non fuisse appellatum, vel non intra tempus decendij, aut ex alio capite (puta quia renunciatum sit appellationi, vel sine causa probabili sub interlocutoria appellatum) appellationem non esse devolutam ad Metropolitanum, tunc ipse inhibere non debet Iudici à quo, nec in causa illa cognoscenda & diffinienda (si ab interlocutoria vel gravamine appellatum sit) ulterius procedat; vel (si à definitiva sententia appellatur) ne ad executionem eius progrediatur.

3 **Not. I.** Iudex appellationis sive à definitiva, sive ab interlocutoria appellatū sit, partes citare debet. Ita *Anchoran. hie not. 5. Franc. in princ. huius. §. gl. in c. Pertuas. 58. h. tit.*

4 **Not. II.** Si appellatum sit ab interlocutoria, Iudex appellationis non debet unā cum citatione partis mittere Iudici à quo inhibitionem; quia inhibere ei non debet processum, nisi prius causa appellandi probata & justificata sit, quod ipsum in praesentia partium fieri debet. Sicuti explicat *Gail. l. 1. observ. 144. n. 4.* at verò si à definitiva appellatum sit, vel ab interlocutoria vim definitivæ habente (quia finit Iudicis processum) tunc usitatum est, ut Iudex statim cum receptā appellatione partes eitet, etiam inhibeat Iudici à quo, ne ad executionem sententiæ procedat, teste *Gail. l. 1. observ. 130. n. 7. & eis. observ. 144.* videri is etiam potest in *observ. 134. l. 1.* Vbi de compulsorialibus literis agit, quibus Iudici à quo mandat, ut Iudicii acta edat, sive copiam eorum det.

### §. Quod si.

Si appellans coram Archiepiscopo obiiciat, ex causa iniusta, aut irrationabili ante sententiam fuisse appellatum, ideòque non admittendam appellationem, non debet Archiepiscopus aut officialis eius inhibitionem facere, nisi prius receptā appellatione cognoverit, causam legitimam & veram esse. Constat hæc doctrina ex §.

*Præcedente. & explicabitur infra à c. Non solum. 7. h. tit.*

### §. Si autem.

Tametsi appellatus coram Archiepiscopo dicat, appellationem à sententia definitiva factam esse in casu prohibito, v. g. super crimine notorio, vel postquam reus in iudicio confessus est, nihilominus tamen Archiepiscopus, postquam cognoscere ceperit, num appellatio recipienda sit, necne, inhibere potest Iudici à quo, ne sententiam exequatur.

#### S V M M A R I U M.

1. Si constet, appellationem fuisse illegitimam, aut frivolam, nec Iudex à quo ei deferre, nec Iudex ad quem, eam recipere debet, secus est in casu dubio.
2. Regula illa: pendente appellatione nihil innovandum, referenda solum est ad Iudicem à quo, & partes litigantes.
3. Subditi Episcoporum non sunt subditi Metropolitaniani.
4. Si male appellatum à sententia interlocutoria, vel alio iudicio gravamine, Iudex debet causam ad Iudicem à quo remittere.

5 **Notand. Vnic.** Si constet, appellationem fuisse illegitimā aut frivolam, nec Iudex à quo ei deferre, nec Iudex ad quem eam recipere debet, sin autem de hoc dubitatur, quia v. g. crimen in iudicio confessus allegat, se metu tormentorum confessum; tunc Iudex ad quem appellationem recipere & ante omnia de veritate causæ cognoscere potest, & tunc primū, cum videlicet cognoscere incepit, num causa principalis ad ipsum devoluta sit, sive utrum appellationem contra sententiam recipere debeat, executionem eius inhibere Iudici à quo, ita *Anchor. l. not. 10. Franc. n. 2.*

### §. In alium.

Si ad Archiepiscopum appellatum sit, post receptam appellationem, inhibere potest Iudici & partibus, ne quid innovent, aut attentent, non autem alteri personæ, cum qua lis nulla est.

6 **Not. Vnic.** Regula illa: pendente appellatione nihil innovandum; referri debet